

autem non possumus quin hæc præcepta sint valde consentanea rationi, et quasi necessaria ex institutione. Nam, supposita institutione unici sacrificii, naturaliter sequitur obligatio illud offerendi, quia obligatio colendi Deum per sacrificium suo modo naturalis est; ergo determinata institutione ad tale sacrificium, consequenter determinatur obligatio naturalis. Verum est autem in institutione unici sacrificii includi prohibitionem utendi aliis, quæ moraliter æquivalet præcepto utendi tali sacrificio, et ideo simpliciter est illud præceptum positivum. Quod in præceptis sacramentorum est clarius, quia usus sacramentorum, etiam in genere, non ita est de jure naturali, de propriis sacramentis loquendo. Nihilominus tamen, supposita excellenti institutione sacramentorum novæ legis, et infirmitate ac indigentia hominis, valde rationi consentaneum fuit præcipi quod ita instituebatur, quamvis, in rigore, necessitas simpliciter ex præceptis positivis orta sit.

17. *Præcepta ceremonialia data esse in lege gratiæ perfecto quodam modo accommodato perfectioni hujus legis.* — *Ratio.* — Addendum vero est hæc præcepta ceremonialia data esse in lege gratiæ perfecto quodam modo accommodato libertati et perfectioni hujus legis. Declaratur, quia ex quatuor membris præceptorum ceremonialium, quæ erant in lege veteri, scilicet, sacrificia, sacramenta, sacra et observantia, solum de primis duobus data sunt præcepta divina in lege nova; de aliis vero duobus data est potestas Ecclesiæ ad instituenda et præcipienda illa, suo prudenti arbitrio; hoc ergo spectabat ad libertatem et perfectionem hujus legis. Ratio autem est, quia sacrificia et sacramenta pertinent ad substantiam cultus divini; sacrificium quidem, quia veluti essentiam cultus divini externi et publici continet, sacramenta vero, quia ad sanctificationem cultorum Dei ordinantur. Et ideo de his oportuit dari præcepta divina, ut substantia divini cultus firma et stabilis semper in Ecclesia permaneret, et ut per talia signa semper Ecclesia Christi ab aliis sectis vel congregationibus distingueretur. Nam ut August. dixit, 19 contra Faust., cap. 11: *In nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signorum, vel sacramentorum consortio colligentur.* Alia vero duo membra pertinent ad accidentalem cultum, et ad ornatum sacrificii et sacramentorum, et ideo Ecclesiæ dispositioni relicta sunt, ut suo loco latius dictum est. Circa priorem etiam partem huius

materiæ consultum maxime est perfectioni hujus legis, quia Christus Dominus, ut Augustinus notavit ep. 118, c. 1: *Levi jugo suo nos subdidit, et sarcinæ levi, unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.* In quibus verbis tacite rationem reddit, ob quam talia præcepta, quamvis ceremonialia, non sunt contra legis novæ suavitatem et libertatem. Addere vero possumus etiam non esse contra perfectionem hujus legis, quia secum afferunt spiritum gratiæ et charitatis, et ad illum obtinendum ordinantur, spiritus autem charitatis facit præcepti sarcinam non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum, ut dixit Augustinus, lib. de Perfection. justit., cap. 5.

18. *Materia legis novæ tam actus externos quam internos amplectitur.* — Atque ex his colligitur, primo, materiam legis novæ complecti tam actus externos quam internos. De externis id constat ex dictis de præceptis ceremonialibus hujus legis, omnia enim illa de actibus externis sunt; in materia vero morali, illos tantum actus præcipit qui sunt de lege naturæ. De internis vero patet, quia in eis principaliter consistit rectitudo apud Deum, et ideo hæc lex præcipue versatur circa actus in quibus interna justitia consistit, vel sine quibus esse non potest. Illam enim maxime Christus intendit, ideoque dixit Matth. 5: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum caelorum;* pharisæi enim justitia externa contenti erant, Christus autem internam justitiam quærere docet, et actus internos ad illam necessarios præcipit. Unde duobus modis præcipiuntur per hanc legem actus interni. Primo, per se et directe, ita ut in ipso actu interno quasi consummetur materia præcepti, et hoc modo præcipiuntur actus virtutum theologialium, et actus contrarii prohibentur. Præcipiuntur etiam aliqui actus virtutum moralium, præsertim vero poenitentia, quæ est dispositio ad justitiam coram Deo: posset etiam in hoc ordine numerari oratio quatenus in mente consummari potest, et interdum esse necessaria, quamvis verbis exprimi non possit.

19. *Alius modus præcipiendi actus internos ob externos.* — Alio modo possunt actus interni præcipi propter externos, qui interdum per se primo præcipiuntur, ut constat maxime de præceptis sacramentorum; quia vero præci-

piuntur ut morales et humani, ideo præcipiuntur etiam interni, sine quibus externi morales esse non possunt. Et similiter, prohibitis aliquibus actibus externis, necesse est ut prohibeantur interni, et hoc modo hæc lex prohibet etiam internam concupiscentiam et prava desideria, ut habetur Matth. 5. Denique hæc lex non solum præcipit operationem, sed etiam modum operandi, et ideo imprimis præcipit rectitudinem in intentione ultimi finis, seu æternæ beatitudinis, et deinde jubet etiam bonam intentionem particularem in quolibet opere, et contrariam intentionem prohibet, ut ex Matth. 5 colligitur. In quo solum est advertendum intentionem operis non semper præcipi uno eodemque præcepto quo præcipitur opus, et nihilominus considerata tota lege Christi, utrumque per illam præcipi; et ideo, licet unum vel aliud præceptum impleri possit sine recta intentione, atque adeo sine honesto modo operandi, nihilominus tota lex Christi in nullo opere integre servari potest, nisi honesto modo fiat, sicut de lege naturali in superioribus diximus. Nam etiam quoad hoc non est minus perfecta lex Christi. Propter quod ipse dixit Mat. 5: *Omnis qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram;* ex quibus verbis ita colligit Aug., l. 1 de Serm. Domini in monte, c. 1: *Si quis pie sobrieque consideravit sermonem quem locutus est Dominus noster Jesus Christus, puto quod inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum, quod in discursu illorum librorum optime declarat, et D. Thomas hic, quæst. 108.*

20. *Sensus illius axiomatis theologorum, in nova lege nulla esse divina præcepta, nisi fidei et sacramentorum.* — Ultimo, intelligitur ex dictis quomodo verum sit axioma theologorum dicentium in nova lege nulla esse divina præcepta, nisi fidei et sacramentorum, ut loquitur Soto in 4, d. 40, art. 4, et sequuntur alii moderni, et Covarr., in 4 Decr., cap. 6, § 10, in princ., qui id sumpserunt ex D. Thoma, in dicta quæst. 108, art. 1, ad 2, ubi non tam expresse id affirmat; in quodlib. autem 4, art. 13, dicit *legem novam esse contentam præceptis moralibus naturalis legis, et articulis fidei, et sacramentis gratiæ*, ubi nunquam dicit præcepta fidei pertinere ad præcepta positiva legis novæ, sed solum determinationem articulo- rum fidei esse peculiarem legis novæ: unde recte intelligitur, juxta superius dicta, doctrinam et expressionem fidei esse propriam

legis novæ et perfectionis ejus, et cum illa esse conjunctum speciale fidei præceptum, sive illud positivum vocetur, sive naturale, diversis respectibus supra explicatis. Sic ergo intelligendum est illud axioma quoad hanc partem. Quoad alteram vero solum est addendum intelligi de positivis præceptis, et sub sacramentis comprehendendi sacrificium, quia unum est ex sacramentis quoad rem in illo oblatam; inde enim necessario fit consequens ut etiam illius obligatio cadat sub peculiare præceptum hujus legis, ut jam explicatum est. Atque hinc recte colligit Victor., in relect. de Matr., in 2 parte secundæ partis, n. 4, in nova lege nullum esse præceptum divinum negativum quod ad jus positivum pertineat, quia præcepta sacramentorum tantum sunt affirmativa. Videri autem potest diminuta illa numeratio, quia præceptum de obedientia ecclesiastica Prælati Ecclesiæ præstanda, est præceptum legis novæ, contentum in illis verbis Matt. 18: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi quasi ethnicus et publicanus:* et in illis Joann. 21: *Pasce oves meas.* Respondetur distinguendam esse, ut sæpe dixi, institutionem a præcepto. Institutio ergo Prælatorum Ecclesiæ, et potestas jurisdictionis eis data, præsertim Petro et successoribus ejus, cum potestate illam communicandi, pertinet ad jus divinum positivum hujus legis, quod potest reduci ad documenta fidei: nam unum ex credendis, est Ecclesiam Christi esse unam, et in uno capite fundatam. Posita autem illa institutione, præceptum illud Hebr. 13: *Obedite præpositis vestris*, naturale est, et sub moralibus continetur, sicut præceptum implendi votum, et similia.

## CAPUT III.

UTRUM LEX NOVA SIT SCRIPTA SENSIBILIBUS LITTERIS, AUT TANTUM INTERIUS INDITA.

1. *Ratio dubii.* — Explicata materia et præceptis hujus legis, dicendum sequitur de forma illius. Potest autem hæc lex (sicut quælibet alia) considerari, vel prout est in legislatore, vel prout exterius indicatur illis quibus imponitur. Hic ergo non habet locum prior consideratio, quia in superioribus satis explicatum est quis actus sit lex in ipso legislatore, et quoad hoc eadem est ratio de hac lege divina quæ de aliis. Tractamus igitur de lege nova, ut extra Deum et Christum existente, et sic forma ejus consistit in aliquo signo sufficienter promulgante hominibus Dei et Christi

voluntatem. Et de promulgatione quidem dicemus in capite sequenti; hic autem inquirimus quale sit illud signum, an sensibile, vel spirituale; et si est sensibile, an sit transiens, vel permanens, seu scriptum? Ratio vero dubitandi esse potest, quia hæc lex hominibus viatoribus, in corpore mortali viventibus et sensibus utentibus, data est; ergo necessario dari debuit per signa sensibilia, quia, secundum ordinariam legem, non potest voluntas Dei hominibus innotescere, nisi per hæc signa: ergo illa sunt de essentia hujus legis, ut exterius latæ. Potestque hoc confirmari ex promissione hujus legis facta Isai. 2, et Micheæ 4: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*; ubi aperte est sermo de lege externa, et de verbo Dei sensibili, de quo ibidem prædictum fuerat: *Venite, et ascendamus ad templum Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas*, utique sensibili et humano modo, et ideo designatur locus in quo hæc lex promulganda erat. Et ita impletum est in prædicatione Apostolorum, quibus Christus dixerat: *Euntes, docete omnes gentes, etc.*, et: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*; unde et Christus per sensibilia signa præcepta sua tulit, et Apostoli per similia signa illa promulgarunt. Quod si sensibile signum necessarium fuit ad formam hujus legis, videtur profecto magis conveniens, ut fuerit verbum scriptum, quia lex hæc stabilis et perpetua est, ut infra dicemus; ergo debuit per signum stabile et fixum institui, quale est scriptura, et non per verbum transiens, ut est vocale. Et confirmatur ex usu ipso; ideo enim providit Deus ut evangelica præcepta in novo Testamento scribebantur.

2. In contrarium vero est promissio Dei per Jeremiam, cap. 31: *Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum*. Quod pactum postea sic explicatur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam*. Et hanc promissionem ponderans Paulus, ad Hebræos 8 et 10, dicit hanc esse prærogativam novi Testamenti, in qua excedit Testamentum antiquum; idem autem est quoad hoc lex nova et Testamentum novum: ergo hæc lex nova non est scripta, vel tradita signo sensibili sicut lex vetus: non est ergo hoc signum de forma seu essentia hujus legis. Et confirmatur ex loco Pauli 2 ad Corinth., c. 3: *Epistola estis Christi, ministrata a nobis, non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Ubi

Theoph. notat differentiam, quia lex atramento scripta fuit, Evangelium autem per spiritum, quam etiam notat August., 15 contra Faustum, cap. 4. Et confirmatur, quia Christus, hujus legis auctor, illam non scripsit externa et materiali scriptura, sicut Deus per Angelos scripsit legem Decalogi, et per Moysen legis datorem cætera præcepta: ergo signum est hanc legem per se non esse scriptam sicut priorem. Et quamvis verbo sensibili et vocali lata fuerit, quia non poterat alio modo indicari communitati hominum secundum ordinariam providentiam, ut probat ratio in principio facta, nihilominus verbum illud solum fuit quasi instrumentum ad scribendam hanc legem in mentibus et cordibus hominum; ergo hæc lex non potest dici scripta sensibilibus, ut sic dicam.

3. *Resolutio dubii.* — Resolutio hujus dubii satis communiter recepta est, legem novam complecti non solum propria præcepta, sed etiam spiritum gratiæ inclinantis et dantis vires ad legem observandam. Inter quæ duo principalior est spiritus gratiæ, et ideo ab illo principaliter denominatur, et quæ illi conveniunt ratione gratiæ, simpliciter ei convenire dicuntur. Quia ergo gratia et charitas cordi infunditur, ideo simpliciter lex gratiæ dicitur infundi in cordibus absolute et simpliciter, licet, quatenus præcepta continet, exterius lata sit, et scripta dici possit. Ita docet D. Thom., q. 106, art. 1; et sumi potest ex Chrysost., hom. 1 de Spiritu sancto, in die Pentecostes, t. 3, ubi in fine dicit: *Quæ igitur lex quam hodie e caelo datam dicis? Spiritus sancti gratia*; et hom. 28, in Imperfecto circa illa verba: *Venite ad me omnes, qui laboratis, etc. Lex (inquit) præceptum est nudum, gratia autem virtus est*. Latius vero hoc tradidit August. de Spirit. et litt., cap. 17, ubi ait legem novam esse charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: unde concludit: *Lex ergo Dei est charitas*; et infra: *Cum in tabulis (inquit) scribuntur opera charitatis, lex est operum, et littera occidens prævaricatorem; cum autem ipsa charitas diffunditur in corda credentium, lex est fidei, et spiritus vivificans dilectorem*. Idem fere repetit c. 26, ubi movens difficultatem, in quo differat lex gratiæ a lege naturæ, cum etiam lex naturalis sit scripta in cordibus hominum, juxta illud Pauli ad Rom. 2: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legibus sunt, faciunt*; respondet gentes de quibus loquitur Paulus non esse infideles gen-

tium, sed esse Gentiles conversos ad fidem, et jam justificatos per gratiam Christi, et ideo legem scriptam in cordibus eorum non esse aliud quam gratiam, per quam dicuntur naturaliter ea quæ legis sunt facere, quia gratia ipsa perficit naturam; et ubi adest, modo maxime consentaneo naturæ lex impletur.

4. *Lex imperans et lex impellens, seu adjuvans.* — Possumus autem doctrinam hanc amplius explicare, distinguendo in lege nova duas leges: unam imperantem, aliam impellentem (ut sic dicam) et adjuvantem ad alteram imperantem implendam; et concedere priorem consistere in signo aliquo sensibili voluntatis Christi, et sic posse dici legem vocalem, vel scriptam in charta, vel etiam scriptam in mente per memoriam, seu dictamen intellectus judicantis servanda esse talia præcepta: posteriorem vero legem positam esse in propensione charitatis, seu fidei per charitatem operantis. Nam impulsus potentiæ, habitus, vel motio, solet nomine legis significari; sic enim Paulus, ad Rom. 7, concupiscentiæ impulsus vocat legem fomitis; ergo multo magis impulsus Spiritus sancti interius immisus, sive per internas motiones, sive per infusionem charitatis, potest merito lex gratiæ appellari. Hæc autem duæ leges non tanquam duæ omnino distinctæ accipiendæ sunt, sed ut conjunctæ, et quasi componentes unam perfectam. Nemo enim, absolute loquendo, duas Christi leges aut duas novas leges admittet, id enim a modo loquendi Scripturæ et Patrum alienum est; debent ergo intelligi illæ duæ tanquam partes inter se unitæ, et ad constituendam perfectam Christi legem ordinatæ, seu in eadem radice connexæ: nam, ut ait auctor Imperfect. supra: *Gratia levis est, non solum quia levia ponit mandata, sed etiam quia quod fieri præcipit et ipsa in nobis faciendi operatur virtutem, ut gratia (inquit) jubet: Diligite inimicos vestros, et ipsa juvat ad eos diligendos*. Dicitur autem gratia præcipere, quia talia præcepta postulat tanquam sibi connaturalia, vel saltem ut maxime sibi consentanea. Quia ergo, in hac lege sic spectata et perfecta, lex impulsus divini Spiritus perfectior est, ideo ab illa solet simpliciter denominari lex fidei, et lex spiritus vitæ, atque eodem modo dicitur lex in cordibus impressa.

5. *Adhuc persistit difficultas.* — *Primo.* — *Secundo.* — Sed licet hæc doctrina vera sit, non videtur evacuare difficultatem positam. Primo, quia non satis declarat differentiam

inter legem veterem et novam: nam si ambæ considerentur ut leges imperantes, ambæ dicuntur fuisse sensibiliter scriptæ, et per exteriorem doctrinam imperatæ; si vero considerentur ut interius receptæ a subditis, ambæ receptæ sunt per fidem, et in utraque fuit necessarius internus impulsus Spiritus sancti, ut posset lex integre vel digne impleri, et ita quoad legem inclinationis et impulsus, utraque fuit impressa in corde; ergo non satis explicatur quid in hoc proprium habuerit lex nova. Secundo, urget difficultas posita ab Augustino de lege naturæ, neque ejus responsio videtur satisfacere. Nam esto concedamus (quod difficultate non caret, licet ad hunc locum non pertineat) propositionem illam: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*, extendi posse ad Gentiles conversos ad fidem Christi, nihilominus verisimile non est in illa non comprehendi Gentiles qui Christum præcesserunt, et absque lege Moysi, sive ante illam, sive cum illa, per fidem verum Deum coluerunt, et justi fuerunt. Nam de illis verissime dicitur, cum legem non habuerint, utique positivam divinam, seu per specialem doctrinam exteriorem datam, naturaliter ea quæ legis sunt fecisse, non quidem sine auxilio gratiæ, sed connaturaliter illi operando; in illis ergo revera erat lex divina imperans menti indita, et erat impulsus gratiæ cordi etiam impressus; et ita lex naturalis sumpta prout fuit in fidelibus legis naturæ, quatenus fuit impulsiva, fuit æqualis legi novæ in hac perfectione; quatenus vero fuit imperans, superavit legem novam, quia fuit impressa mentibus sine externa doctrina, quod non habet lex nova. Imo hic excessus etiam in lege mere naturali reperitur.

6. *Tertio.* — *Augetur difficultas.* — Tertio, relinquitur mihi scrupulus in illa doctrina, quia non salvat cum proprietate verba promissionis Dei per Jeremiam, cap. 31: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*. Nam lex solius impulsus non proprie, sed metaphorice tantum est lex, ut lib. 1 in principio ostendimus, et inde diximus legem fomitis nec veram nec propriam legem esse. Ergo si lex gratiæ solum ratione inclinationis et impulsus dicitur esse impressa in cordibus, necessario dicendum est Jeremiam metaphorice loqui de lege. Consequens autem est inconveniens: primo, ex generali regula, quod Scriptura proprie est intelligenda, si commode potest: secundo, quia prædixerat, Jerem. 31: *Feriam domui Israel et domui*